
Ayuntamiento de Cádiz


UMASS
BOSTON

ORATIO INAUGURALIS.

†

De Sacrae Theologiae Moralis studii

HAC NOSTRA PRAESERTIM AETATE PRAESTANTIA

INAUGURALIS ORATIO,

QUAM

IN SOLEMNI LITTERARII CURRICULI INSTAURATIONE

Seminarii Conciliaris Gadicensis

SANCTI BARTHOLOMAEI APOSTOLI,

DIE DECIMA QUINTA SEPTEMBRIS ANNI 1880

HABUIT

Dr. D. Emmanuel Cerero et Soler, Presbyter,

IN EODEM SEMINARIO

PRO-MODERATORIS VICES FUNGENS, ET S. THEOLOGIAE MORALIS

PROFESSOR.

Illmi. ac Revmi. Dris. D. D. Jacobi Catalá et Albosa,

hujus dioeceseos clarissimi Praesulis,

JUSSU ET APPROBATIONE.

SUMPTIBUS SEMINARII.

GADIBUS.—FRIDERICO JOLY TYPOGRAPHO.

MDCCCLXXX.

Illme. et Revme. Domine:

Digladiabile ac juge catholicam veritatem inter et hodiernam philosophiam, nunc temporis, dissidium prout in confesso est apud omnes, surgit, tantaque animi acrimonia ex utraque parte lis movetur, ut unquam veritatis jura adversus hostium molimina adeo necesse fuit tueri, quam hisce nostris verè luctuosis diebus, in quibus ad revelationem evertendam, et populos atque societates ab hac unica salutari semita subducendos, nullus non agitatur lapis. Ex quo enim *liberi examinis* principium invaluit, cujus legitima propago *rationalismus* jurè meritòque censeri debet, nova ratiocinandi methodus prodiit, unde philosophia, ut mirificè adnotat Raulica, [1] *inquisitiva* evasit, et hinc veluti e proprio atque uberrimo fonte omnia illa systemata quae veritati tum theoricae, tum practicae adversantur, et in scientiarum scholas ferè undequaque grassantur, prodiere. [2] Sic, enim, "*Naturalis-*

---

(1) La Philosophie Chretienne, T. 2. P. 2.

(2) Cf. Hettinger. Apolog. del Cristianismo. Conf. IV. et VI.

mus, qui quidquid supra naturam et quidquid supra sensus est rejicit: *Materialismus*, qui quamlibet substantiam spiritualem denegat: *Positivismus*, denique, qui non nisi facta, quae sensibus objiciuntur pro certis habenda sancit," [3] quasi tot humanae rationis deliramenta sunt spectanda, quibus homo à recta veritatis via discedens, praecipua et evidentia moralitatis principia delere funditus contendit.

Age vero, quamvis neoterici catholicae doctrinae insectatores, nihil ad ejus impugnationem, tota qua pollent industria non tentarunt, semper tamen constans semperque tuta Moralis Christiana permanet, quia divino praesidio, et illustrium sapientium qui tam nobilissimae hujus theologicae disciplinae partis studio callent, ope atque adjutorio suffulta, quotidiè inimicorum mille à latere suo, et decem millia à dextris cadere cernit, dum illa, faventibus superis, tanquam morum firma regula super solidum fundamentum consistit.

Sed magnam, quidem, opus est ad hoc quotidianum et acre certamen adhibere solertiam, ac proinde quam planissimè, hanc à Te mihi, Illme. ac Revme. Domine, pro mea oratione thesim praestitutam demonstrare oportet, quae circa studii Sacrae Theologiae Moralis praestantiam, hac nostra praesertim aetate versari debet, quod ut assequar, superno auxilio praeditus, Ornatissime Praeses, oro Te, vosque omnes, audientes benevoli, ut indulgentia vestra faveatis.

---

(3) Ephemerides cui titulus *Divus Thomas* n. 1.

Philosophiae positivae hujus nostri saeculi, hanc, veluti summam totius *systematis utilitarii* et *moralis independentis* ut ajunt, conclusionem tradere placuit: *Aliae vires non sunt agnoscendae nisi illae quae in materia positae sunt, et omnis morum disciplina honestas quae collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo divitiis, ac invo- luptatibus explendis.* [4] Juxta praefati systematis fautores et patronos, inter quos Compte et Littré principem locum obtinent, *vis* est tanquam unica ratio statuenda, et ut Saint-Simon, Fourier, Ouven et Proudhon, *socialistarum* et *communistarum* novissimi commenti instauratores juvat, omnem ideam existentiae Dei, auctoritatem publicam, distinctionem inter bonum et malum morale, dominium proprietatis, jus haereditarium et matrimonium e societate relegare praestat, quia haec omnia et alia quae ex iisdem emanant, sicut Cl. Episcopus Cordubensis in *Historia Philosophiae* refert, "libertatem agendi uniuscujusque hominis, atque evolutionem et satisfactionem virium et passionum naturalium praepediunt, eaque ratione sunt origo aerumnarum, dolorum, miseriae, et cunctorum malorum, quae homini in actuali societate affligunt." [5]

En morale systema, nostro saeculo ab illis adumbratum, qui sese societatis hodiernae moderatores et cultores proclamant, quod, nihil aliud est nisi theoriae Kantianae sequela, quae humanam rationem supremam legisla-

---

(4) Prop. damnat. á Pio IX in Alloc. *Maxima quidem.* 9 Jun. 1862; et in Ep. Encycl. *Quanto conficiamur.* 17 Aug. 1863.

(5) Cap. VI. art. X.

tricem et arbitram praedicat, nam ex principio *imperativi cathegorici* [6] à Kantio constituto, Deum, legislatorem, conservatorem et protectorem totius ordinis moralis rejiciendum esse infertur, ut *ratio practica* quasi unica eaque suprema legislatrix imperet.

Et sane, quam impium et absurdum sit hoc systema nemo non videt; ex eo enim supernaturalis ordinis, in quo vera hominis perfectio et beatitudo inveniri potest, eversio sequitur, notio ipsa humanae libertatis penitus rejicitur et pessumdatur, legum quibus mundus spiritualis regitur nulla ratio existentiae invenitur, creatura rationalis, quae propter animam intellectivam et conscientiam ad imaginem Dei viventis, sicut fides catholica docet, fuit plasmata, *equo et mulo quibus non est intellectus*, [7] ut Regii Psaltae verbis utar, aequiparari omnino debet, futura vita, animae immortalitas atque exinde integra religio subvertitur, rectae rationi et communi hominum sensui apertè contradicitur, ita ut nequeat homo à brutis secerni, cum et animalia utilia et jucunda quaerant eisque fruantur.

Jam vero, his positis, omnis idea moralitatis humanorum actuum evanescit, quia moralitas nonnisi ex convenientia nostrarum actionum cum recta morum regula, nobis per conscientiam patefacta desumitur; cum autem systemata nuper enucleata regulae proximae seu conscientiae praecepta omnino parvipendant, nam in voluptatum satisfactione, vel in iis è quibus aliquam utilitatem

---

(6) *Critic. ration. pract.* p. 1. l. 1. c. 1. (7) Psalm. XXXI.-9.

agens percipere valeat, totam hominis in hac vita felicitatem reponunt, actum est tunc de moralitate, etenim aut regula prima non existit, vel si existit, propriam existentiam probare desinit, unde actiones nostras cum ejus dictamine conformare non tenemur, quod quidem fundamentum ac principium est, ut superius adnotavi, *systematis utilitarii* et *moralis independentis*.

Fructus autem istiusmodi tam perniciosae doctrinae nostra in hodiernum societas colligit. *Auri sacra fames*, cum Horatio inquam, intima cordium fere omnium hominum penetrat, et libidines explendi cupiditas vix aut ne vix quidem omnes animos exarsit; atque ex hinc perturbationes innumerae, quibus modernae societates obvolutae inveniuntur, ortum habent, hinc usura et mala fides in commercio invehitur, hinc quotidiana folia, ephemerides et prava opuscula, quae perditionis venenum saepe saepius diffundunt, et atrociora atque nefanda crimina subtiliter lectorum oculis exhibendo, passionum flammas in animos incendunt, maximo cum familiae et societatis detrimento prodeunt.[8] ¿Quid plura? ¿Numquid enormia flagitia, quae velut totidem nostrae societatis plagae censeri debent et quotidiè patrantur, systematis *moralis independentis* turpitudinem apertè non demostrant? Siccine in horridum barathrum praesens aetas dejicitur![9]

---

(8) Nefarium *Alexandri Dumas* opus: *La question du divorce*, ita modo pervulgatum est, ut saepiusculè tenerae juventuti hoc lethale venenum in frequentissimis editionibus propinetur.

(9) Cf. *Liberatore* in egregio opere: *La Chiesa e lo Stato* ubi fusè lib. II. c. VI. de societatis degradatione propter *naturalismi politici* doctrinam invalescentem maxima rationum copia pertractat.

Nullum adeo infandum est crimen, cujus patrocinium ab aliquo, nunc temporis, philosophorum non sit susceptum. Nihil ergo mirum si impiissima blasphemia christianas aures frequenter offendit, si horrenda homicidia ubique dinumerantur, si suicidiis quamplurimis coaetanea historia maculatur.

Liceat nunc mihi, tot hodiernae societatis probra indigitando, cum Poeta inclamare:

¿Quis talia fando

. . . .

Temperet á lacrymis? (10)

Sed contra Christiana Moralis quasi virgo immaculata surgit, et ex divinae revelationis fontibus doctrinas salutares mutuans, pacisque et beatitudinis vexillum protendens, in Deum finem hominis ultimum aeterne possidendum ostendit. Hujus saeculi bona tamquam media aptiora ad posessionem finis adipiscendam arbitratur, dummodo prudentiae limitibus circumscriptus homo in iis utendo permaneat. Supremum Dei cultum sicut totiusmet societatis bassim erigit, qua stabilita hominis erga Deum officia sanciuntur. Auctoritatis principium ita corroborat ut omnem potestatem à Deo acceptam referat, unde leges obligandi vim intra conscientiae forum percipiunt. Officiis quibus homines in societate ordinantur motiva subjicit efficacissima, tum ad ea exsecutione mandanda, tum ad se retrahendos à transgressione. Cum enim

---

(10) *Virgil. AEneid.* lib. II. v. 8.

plerique rudes non satis amore alliciantur ad propria munia obeunda, praemia amplissima poenasque item acerbissimas atque aeternas pro meritis uniuscujusque proponit; tum denique Salvatorem Christum, ut virtutum omnium exemplar ad imitandum praebet in tot quibus undique premimur angustiis leniter ferendis.

Moralis, quidem, Theologia sic perbellè cum egregio Scavini definiri potest: *illa Disciplinae Theologicae pars, quae humanas actiones ad morum honestatem dirigit in ordinem ad vitam aeternam.* (11) Hac vero definitione admissa, objectum hujus praeclarae Scientiae in ordinatione humanorum actuum ad morum regulam, ejusque finis in supernae beatitudinis adeptione situm esse, luculenter patet. Nulla proinde magni ponderis quaestio animo occurrit, quae aliquo ad ejus provinciam modo non pertineat; sive relationes Deum inter et homines conferantur, sive hominum inter se commercium vel societas spectetur, sive denique hominis erga seipsum obligationes perpendantur, de iis omnibus aptissimas affert Sacra Theologia Moralis solutiones: omnia ita sapienter et cordatè moderatur lucidiora principia statuendo, actionumque regulas tradendo, ut sicut fortis Davidica turris ad munimen animarum erecta appareat ex qua *mille pendent clypei.* (12)

Cum homo, ut acutissimè, de more, Divus Thomas animadvertit, *ordinatur ad Deum, sicut ad quemdam finem, qui comprehensionem rationis excedit* (13), necesse est ut *eru-*

---

(11) *Theol. Moral.* Quaest. Prolegom. Quaes. 1. (12) Cant. IV. 4.
(13) *Summ. Theol.* 1. q. 1. a. 1.

bescant qui felicitatem hominis tam altissimè sitam in infimis rebus quaerunt. [14] Moralis, enim, Catholica, nullam aliam humanarum actionum normam primam praeter *legem aeternam*, admittit, quae nihil aliud est quam ipsamet ratio divina conservationem moralis ordinis praecipiens ejusque perturbationem vetans. Nunc vero, Theologia Moralis in efformandis humanis actibus, per voluntatis rectitudinem, versatur; cum autem *rectitudo voluntatis sit per debitum ordinem ad finem ultimum*, [15] juxta Angelici Doctoris verba, hujus nobilissimae Scientiae praestantia planè apertèque apparet, nam rectos mores informat, bene agendi regulas praecipit, aeterna justitiae principia tuetur, spem coelestem et nutrit et fovet, beatitudinis desiderium in cordibus nostris accendit, ut ad verae felicitatis limpidos fontes, qui e sinu Dei erumpunt, totis animi affectibus tendamus.

Quis enim Catholicae Moralis, si cum falsis rationalistarum placitis conferatur, praestantiam atque excellentiam inficias ire audebit? "Ratio et experientia simul ostendunt, ait Gonzalez, [16] nullum morale systema à Christianismo sejunctum, eam perfectionem doctrinalem praeseferre, quae in quibusdam maximis et virtutibus moralis christianae continentur." Semel Deo supremo ac ultimo hominis fine constituto, hunc instruit ad ipsum super omnia diligendum, ac proximum, quo nomine omnes omnino homines comprehendit, propter Deum etiam sicut seipsum diligendum.

---

(14) *Contr. Gent.* lib. III. cap. 50.

(15) *Summ. Theol.* 1.ª 2.ªᵉ q. IV. art. IV.

(16) *Philosoph. elementar.* lib. VII. *Ethica.* cap. proaemial. par. IV.

Sed juvat hic rationibus intrinsecis, ut ita dicam, seu ex intima natura rei deductis hanc praestantiam magis magisque extollere. Tota Moralis Theologia eo incumbit ut humanas actiones ad morum honestatem dirigat, quod ut obtineat, ad efformandum rationis judicium practicum evidentia principia statuit, ex quibus perutilia consectaria depromit. (17) Hinc supernis haec Scientia cogitationibus erudita, cuilibet suum pretium designat, bona illa vera judicat, quae ratio dat, quae fides exhibet, et promittit; internam rerum faciem, interiora velaminis pervadit, ad rerum inanitatem et fluxum, ad peccati foeditatem et vindictam, ad impudicitiae marcentes libidines et tetram colluvionem, ad animae vulnera et cicatrices attendit, et ibi invenit vanitatem aut sordes, ibi advertit venenum inaurato atque gemmato poculo propinari, ubi pulchritudinem et bonitatem homo inesse multoties arbitrabatur; quia omnia ad rectae rationis primae et remotae morum regulae accommodatae, trutinam, ubi non exterior rerum facies, sed veritas et bonitas et rectitudo praesident, vocat. (18)

Quae cum ita sint, praestat, Illme. et Revme. Domine, rem nostram absolvere, ne longius quam par est oratio protrahatur; sed aliqua, ut brevissimè potero, fas sit mihi, pace tua, coronidis gratia adjicere.

Ad vos, juvenes dilectissimi, corona atque laetitia nostra, in praesentiarum, oculos converto, et postrema verba

---

(17) Conf. *Gonzalez. Filos. elem.* tomo 2.° pág. 391, et *Estudios sobre la Filosof. de Sto. Tomas,* tomo 3.° libro 6.° cap. 1.° y 2.°

(18) Vid. *Contens. Theol. ment. et cord.* lib. VI. dissert II. c. 2.

perquam libenter dico. Quae de praestantia studii Sacrae Theologiae Moralis hucusque licet indocto calamo exarata, audistis, debita servata proportione, de omnibus ecclesiasticis disciplinis etiam affirmari potest; quia nunquam adeo necessarium fuit viris ecclesiasticis studio atque scientia callere quam nostra aetate, quando plurimi imperiti surgunt, qui quamvis omni scientia destituti, quoddam veluti magisterium sibi arrogant, ita ut omnes solvant occurrentes quaestiones, ac proinde non raro, turpes fallacias quasi solidas veritates proferant. ¿Quid igitur faciendum? Date enim operam scientiarum studio, ut aliquando lux vestra coram hominibus lucere valeat. Doctorem Angelicum Divum Thomam, nuperrimè, (19) suprema gloriosissimi Patris Nostri Leonis XIII auctoritate studiorum Patronum in Universitatibus, Academiis, Lycaeis ac Scholis catholicis declaratum, summo honore prosequimini, ejusque coelestem doctrinam de thesauro mirabilium ipsiusmet Aquinatis operum ad veritatis et moralitatis jura sarta tectaque strenue tuenda, et *nefarios hostium impetus à religione sanctissima*, ut excelsus Pontifex loquitur, *propulsandos* haurite. *Praepositis vestris obedite*,(20) cum Apostolo vobis dicam, ut in nostro admodum dilecto Seminario, sub vigili tutela manentes doctissimi Nostri Praesulis, qui perillustri amplitudine sua hanc litterariam solemnitatem voluit insigniri, et cujus honor decusque totum tam praeclaro Gaditanae Dioeceseos Pastori, meritò adscribi debet, vere sapientes

(19) *Brevi* dato die IV. Aug. labentis anni.

(20) Hebr. XIII. 17.

sitis, sed *ad sobrietatem*[21] sapientes, ut Divus Paulus commendat, per virtutum omnium excercitium; nam virtus est ad periclitandas ingenii vires adipiscendamque doctrinam praeparatio optima, et sic tanta meritorum copia suffulti vestram vocationem adimplebitis.—Dixi.

---

(21) Rom. XII. 3.